



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

488. Quinam fructus, vel emolumenta reputentur in ipsius congruæ æstimatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

3. Respondeo ad primum tertio, non esse reducendam pensionem, si per annos tantum aliquot non remaneant centum pro rectore (idem est, dum non remaneret mille pro Episcopo, vel etiam medietas, vel dua tertia in beneficio simplice, dum est usque ei imposita pensio sub dicta clausula *dummodo* &c.) ob sterilitatem eorum, quae possit compensari cum fertilitate aliorum annorum. *Garc. p. 1. c. 5. n. 399. Ventrigl. to. 2. annot. 11. § 1. n. 48. in fine, citans Barb. de claus. claus. 47. n. 6.*

4. Respondeo ad secundum primo: reductionem pensionis posse deduci tum ex persona pensionarii, per viam nimirum replicationis, cum videlicet ipse agit, & deficit in justificatione clausulae *dummodo*: vel etiam pensionario ipso petente vel volente; quemadmodum enim sola voluntate pensionarii cessare potest & remitti pensio, ita etiam multo magis potest minui. *Lott. cit. q. 42. & 43.* Tum ex persona titularis, per modum nimirum vel actionis vel exceptionis; dum nempe probat & justificat, aut valorem fuisse falsum expressum ab initio, aut ex post illum fuisse imminutum. *Lott. loc. cit. n. 60. Gig. cit. q. 35. nu. 8. & Staph. Porro si titularis excipiat ex probationibus per eum factis, sibi non remanere congruam in summa taxata, posse pensionarium replicare, ut sibi solvatur in ea quantitate, quae superest, ita ut ad illam fiat deductio, tradit *Lott. ibid.* citans *Crescent. decis. 17. n. 3. de rescrip.**

5. Respondeo ad secundum secundum: Ex quocumque demum capite fiat deductio, id perpetuo observandum, ut fiat salva congrua ab initio constituta titulari, ita ut illa semper integre percipiatur per ipsum titularum, neque ullam diminutionem patiat. *Lott. loc. cit. n. 61. quam in rem incidenter.*

*Questio 488. Quinam fructus vel emolumenta reputentur in ipsius congruae estimatione?*

1. Respondeo: Præter ea, quae dicta sunt sub initium de erectione beneficii, Primo, cum agitur de beneficio simplice carente omni administratione, vel etiam habente administrationem aliquam, sed sine jurisdictione, congrua constituitur ex fructibus certis tantum, nisi aliter sit cautum. *Lott. l. 1. q. 42. n. 61.* Incerta autem reputantur ea, quae pendunt à futuro eventu prorsus contingibili. *Lott. ibid. n. 62.* qualia sunt distributiones. *Lott. ibid.* citans *Covar. var. resol. l. 13. c. 3. nu. 3.* Item oblationes, spolia mortuaria, anniversaria, & his similia. *Lott. ibid.* ex *Rebuff. tr. de congrua, n. 86.* Hoc tamen ita accipiendum, ut hujusmodi obventio seu eventus sit prorsus contingibilis, ita ut talia emolumenta nullam possint recipere certitudinem, ut, quia, si etiam vellet titularis ea vendere aut locare, nullum esset nactus emptorem, qui se vellet huic periculo exponere; alioquin si talis redemptor posset commodè & passim reperiri, id ipsum, pro quo communiter possent in annum locari vel vendi, reputaretur inter emolumenta certa. *Lott. nu. 63.* citans *Anchar. in clem. 2. de concess. præb. n. 4. Rebuff. ubi ante n. 87. & Rotam in Manianens. pens. 13. Jun. 1625.* uti idem tradit *Card. de Luc. de pens. d. 8. n. 8.* dicens: attendi in his experientiam plurimum annorum, quorum coarctatio ita fructum certum ex incertis constituere dicitur, dum conductorem inveniunt ita ementè incertam

aleam. Sic multa vestigalia singulis annis locari pro pensione, quae solvatur pro emptione incerta alex transitus mercium, animalium à plurimum annorum experientia certificata. Porro circa emolumenta aliarum functionum Ecclesiasticarum hanc distinctionem hanc in rem notatu dignam tradit idem *Card. loc. cit. n. 9.* nempe, quod alia sunt emolumenta, quae proveniunt à merè voluntaria devotione populi, qui potest eas functiones non facere, vel eas faciendo, non invitare beneficiarum; qui proinde in his emolumentum principaliter obtinet ratione laboris personalis, & hac tanquam incerta non venire in fructu seu valore. Alia verò esse emolumenta debita ratione beneficii, seu juris Parochialis, quod vicissitudinariam continet necessitatem inter Parochum, & Parochianos ratione funerum, Baptismorum, matrimoniorum, & tunc, quia necessario nascitur, morimur, matrimonium contrahimus, aliæque sacramenta & divina percipere debemus à Parocho, cujus interventus est necessarius, idcirco ea venire in fructu.

2. Secundo cum agitur de beneficio, cui annexa administratio cum jurisdictione, ut sunt Ecclesiae Cathedralis, Abbatiales; tum congrua, sicut est in mensa, ita pensio reservatur super omnibus fructibus & emolumentis mensae. *Lott. loc. cit. n. 64.* Ea autem dicuntur bona de mensa, quorum dominium tam utile, quam directum pertinet ad Ecclesiam, siue fuerint de novo donata Ecclesiae, seu ipsi Pralato inturo Ecclesiae; siue à longissimis temporibus fuerint in bonis Ecclesiae; si enim nunc devolvantur ex solidatione domini utilius cum directo, eatenus inter talia reputantur, quatenus Pralatus id declarat; jubendo ea describi inter alia bona mensae per officiales ad id deputatos per ipsum Pralatum; quae omnia præsumuntur facta post annum. *Lott. n. 65.* remittens ad *Mench. de arb. jud. casu 437. ex nu. 1. per totum.* Sic quoque, cum inter bona mensae reputetur ipsa jurisdictione, fructus quoque ejus, ut sunt multa, poena, & quidquid emolumentum reddunt causae civiles & criminales, ipsiusque magistratus, Cancellaria, scribania &c. reputabuntur, in hac congrua. *Lott. n. 66.* quæ etiam *n. 67.* Quod, licet nonnullis quandoque Episcopis rescipitum fuerit, ut se ablineant à locandis, vel vendendis scribanis hujusmodi, ne conductores excoerent litigantes, & latrones suspendant in bursa, ita exigente singulari quorundam avaritia; id tamen minimè à jure prohibitum iis, quodquid sit de elocationibus perpetuis, hinc posse Cancellarias Episcopales locari, & mercedem reputari oportere inter fructus certos tanquam fructum jurisdictionis, responsum esse à Rota, ait *Lott. n. 69.*

*Questio 489. An, & qualiter resignatarius allegare possit excessum pensionis?*

1. Respondeo: Cessionarium seu resignatarium, seu debentem solvere pensionem ex resignatione sibi facta teneri omnino ad solutionem pensionis cum resignante conventa, non obstante allegato ejusdem pensionis excessu, & opponit illi semper posse illud: *Solve vel dimitte*: cum æquum non sit, resignatarium ex dolo & perfidia sua consequi utilitatem, & resignans deludatur maxime, dum resignatio facta conditionaliter cum clausula: *non alias, aliter, nec alio modo.* *Tond. qq. benef. p. 26. l. §. 4. n. 4.* dicens, sic sæpe judicatum in supremis Galliae tribunalibus. *Card. de Luc. de pens. d. 12. n.*